

eogitauerit aduersus sanctos tuos. Nam cum viri pij sint absconditi & protecti à Deo, rectè vulgatus noster interpres cum septuaginta interpretibus verit sanctos: cui respondet Campensis ita habens: Qui occulte protectioni tuæ concrediti sunt. Illis ait apostolus tertio ad Colos. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sed nemo pietatis expers percipit animo ne suspicatur quidem, quàm secunda sit eorum vita, qui veram illam iustitiam colunt, quæ in imitatione Christi consistit. Hos tuetur Deus, non quòd in nullis calamitatibus versentur, sed quòd afflicti nulla improborum hominum vexatione, de tranquillitate animi depellantur. Quare in medijs calamitatibus & arumnis versati nec calamitosi sunt, nec ærinosi, nec infelices. Nam quamuis corpore crucientur, non tamen cruciatur virtus, non grauitas, non fides, non constantia: non denique animus ipse, qui virtutum præsidio septus nullo modo expugnatur. Imò nec mortem ita timeat, vt propterea ab itinere recto separentur.

¶ *Pessima est plaga tua.* Septuaginta habent: *εραυρηθη η παχυνη.* Hoc est intumuit plaga tua. Intelligent vulnus illud superbiam esse & arrogantiam, qua Ninuitæ tumebat: vanis enim opinionibus in flatu sese efferebant, & asperos, difficiles, & imperiosos ostentabant. Superbia turgescit, sursum in aerem extollitur. Vnde psalmographus: Superbia, inquit, eorum qui te oderunt, ascendit semper. Solum autem ascendere verborum multitudine & insolentia. Vt tympanum vento plenum longius sonat, quàm si esset re aliqua graui & solida repleum: sic homo quanto est inanior, ventoque superbia plenior: tanto est loquacior, ac vanis verbis abundantior. Vnde apud Sophoniam quarto ait Deus: Auferam de medio tui magniloquos superbæ tuæ: Et Dauid psal. 16. Os eorum locutum est superbiam. Sed quemadmodum excelsi montes soleat percuti fulmine, quod cœleste dicitur iaculum: sic superbi homines soleat calamitate à Deo missa feriri, & diui

ni iudicij percussione prosterni. Id quod Ninuitis contigisse diuinus noster vates testatur.

¶ *Compresserunt manus super te.* Septuaginta habent. Plaudent manus super te Pagninus: Complosuerunt manum super te. Sed ponitur præteritum pro futuro. Verbum Hebraicum est *פדד* thacagh, quod cõprimere significat, & plaudere, figera. Eo vitur Salomon. Pro. 17. Stultus homo plaudet manibus suis. Quod potest verti: Stultus homo figet manus suas. Hoc est pro ære alieno spondebit, & obligabit. Figere siue dare manum est figere, seque pro aliquo vadem dare. Ita illud intelligitur Prouerborum vigesimo secundo, Noli esse cum ijs, qui designant manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.

¶ *Quia super quem non transit malitia tua semper?* Pro malitia est in Hebræo *רע* à verbo *רע*, quod significat malum esse. Potest esse à verbo *רע* quod significat affligere. Quare potest verti locus hic. Quia super quem non transit afflictio tua. Hoc est, quis est quem tu non afflixeris? Sed quia hoc verbum rahah significat etiam velle, potest esse sensus: Quia super quem non transit voluntas tua semper? Hoc est impietas tua; voluntas enim impiorum impia est. Potest igitur nomen hoc *רע* deduci à verbo *רע*, & tunc significat malum: & à verbo *רע* & significat voluntatem. Quamobrem id quod ait Dauid psalmo quinquagesimo: Et malum coram te feci: vbi pro malo est vocabulum hoc rachi: verum potest: Et voluntatem coram feci: Est enim voluntas propria omnium flagitiorum veluti radix & origo, & in sphæra vitæ nostræ est centrum, à quo exeunt lineæ exitij nostri ad nostræ infelicitatis circumferentiam. Eam ob causam ait Ecclesiasticus capite 18. A voluntate tua auertere. Et Oseas 10. Confundetur Israel in voluntate sua. Et Christus Deus noster in euangelio auctore Matth. capite 16. Si quis vult venire post me, abneget se-

Pagnin.

Prou. 22

Psal. 16.

Ecclef. Ose. 10. Mat. 16.